

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo LXXXII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

mea. Dilectio facit praecepta seruari. An praecepta seruata faciunt dilectionem? Sed quis ambigit. quod dilectio praecedit. unde enim praecepta seruata non habet. quin non diligit; Quod ergo ait. Si praecepta mea seruaueritis. manebitis in dilectione mea. ostendit non unde dilectio generatur. sed unde monstratur. tamquam diceret. Nolite uos putare manere in dilectione mea. si non seruatis praecepta mea; Si enim seruaueritis manebitis. hoc est. hinc apparebit quod in dilectione mea manebitis. si mea praecepta seruabitis. ut nemo se fallat dicendo quod eum diligit. si eius praecepta non seruauit; nam in tantum eum diligitur. in quantum eius praecepta seruamus; in quantum autem minus seruamus. minus diligitur; quamuis quod ait. manete in dilectione mea. non apparet quam dixerit dilectionem. utrum qua eum diligitur. an qua ipse nos diligit. sed ex uerbo superiore dinoscitur; Dixerat quippe. Ego dilexi uos. Cui uerbo continuo subiunxit. Manete in dilectione mea. illa ergo qua dilexit nos; Quid est ergo manete in dilectione mea. nisi manete in gratia mea. & quid est si praecepta mea seruaueritis. manebitis in dilectione mea. nisi ex hoc scitis quod in dilectione mea qua uos diligo manebitis. si mea praecepta seruabitis. Non ergo ut nos diligit. prius eius praecepta seruamus. sed nisi nos diligit. praecepta eius seruare non possumus; haec est gratia quae humilibus patet. superbos latet; sed quid illud est quod adiungit. Sicut ego patris mei praecepta seruauit & maneo in eius dilectione. utique. & iam hic hanc dilectionem patris intellegi uoluit. qua eum diligit pater; ita quippe dixerat. Sicut dilexit me pater & ego dilexi uos. atque his uerbis illa subiunxit. manete in dilectione mea. illa proculdubio qua dilexi uos; ergo quod ait. & iam de patre. maneo in eius dilectione. illa scilicet accipienda est qua dilexit eum pater; Sed numquid & hic gratia intellegenda est qua pater diligit filium. sicut gratia est qua nos diligit filius cum simus nos filii gratia. non natura. unigenitus autem natura non gratia. An hoc & iam in ipso filio ad hominem referendum est. ita sane. nam dicendo. sicut dilexit me pater & ego dilexi uos. gratiam mediatoris ostendit; mediator autem dei & hominum non in quantum deus. sed in quantum homo est. christus ihesus. & profecto secundum id quod homo est. de illo legitur; Et ihesus proficiebat sapientia & aetate & gratia apud deum & homines; secundum hoc igitur recte possumus dicere. quod cum ad naturam dei non pertinet humana natura. ad personam tamen unigeniti filii dei per gratiam pertinet humana natura. & tantam gratiam ut nullas sit maiori nulla prorsus aequalis; neque enim illam susceptionem hominis ulla merita

praecesserunt. sed ab illa susceptione merita eius cuncta coeperunt;
 manet ergo filius in dilectione qua eum dilexit pater. & ideo seruauit praec
 cepta eius; quid est enim & ille homo nisi quod deus susceptor est eius. Deu
 erat uerbum unigenitum gignenti coaeternus. sed ut mediator daretur no
 bis. per ineffabilem gratiam uerbum caro factum est & habitauit in nobis.
**INCIPIT SERMO LXXXIII DE EO QUOD DICIT. HAEC LOQUU
 TUS SUM UOBIS UT GAUDIUM MEUM IN UOBIS SIT ET
 GAUDIUM UESTRUM IMPLEATUR. HOC EST PRAECEPTUM
 MEUM UT DILIGATIS INUICEM SICUT DILEXISTIS UOS.**

Audistis carissimi dnm dicentem discipulis suis; haec loquitus sum
 uobis. ut gaudium meum in uobis sit & gaudium uestrum impleatur.
 Quid est gaudium xpi in nobis. nisi quod dignatur gaudere de nob.
 & quid est gaudium nostrum quod dicit implendum. nisi eius habere con
 sortium. propter quod beato p&ro dixerat. si non lauerote. non habe
 bis partem mecum. Gaudium ergo eius in nobis gratia est quam praesti
 tit nobis. ipsa est & gaudium nostrum; Sed de hac ille & iam ex aeternita
 te gaudebat. quando nos elegit ante mundi constitutionem; nec recte
 possumus dicere. quod gaudium eius plenum non erat; Non enim ds in p
 fectis aliquando gaudebat; sed illud eius gaudium in nobis non erat. quia
 nec nos in quibus esse poss& iam eramus. nec quando esse coepimus. cum
 illo esse coepimus; In ipso autem semper erat. qui nos suos futuros certis
 sima suae praescientiae ueritate gaudebat; proinde gaudium iam
 ipse perfectum de nobis habebat. quando nos praesciendo & praedestina
 do gaudebat; neq. enim nullus in illo eius gaudia deesse poterat. ne forte
 non fieret quod se facturum esse praesciebat; sed neq. cum id facere coe
 pit. quod se facturum esse praesciuit. gaudium eius quo beatus est cre
 uit. Alioquin beator factus est quia nos fecit; Absit hoc fr̄; di beatitudo
 quia nec minor fuerat sine nobis. non fit maior ex nobis. Gaudium igit
 eius de salute nostra. quod in illo semper fuit cum praesciuit & praedest
 inauit nos. coepit esse in nobis quando uocauit nos. & hoc gaudium meri
 to nostrum dicimus. quo & nos beati futuri sumus; sed hoc gaudiū nostrū
 crescit & proficit. & ad suam perfectionem perseuerando per tendit.
 Ergo inchoatur in fide renascentium. implebitur in premio resurgen
 tium; ecce unde dictum existimo. haec loquitus sum uobis ut gaudiū
 meum in uobis sit & gaudium uestrum impleatur; In uobis sit meum. im
 pleatur uestrum; semper enim erat meum plenum & antequam uoca
 remini. cum uocandi a me praesciremini. sed sit & in uobis cū hoc effici mini